Finem Muſices innuens hoc carmen faciebat et in ... artem
Profeſſionis teſtimonium calamo huic pagellæ vacuæ inſcri-
bebat, cum ſeqq. 7. cantionibus jucundiſſimis.

Cur homo vitales eſſet productus in auras?
Pythagoras ſapiens forte rogatus ait:
Pulchra ut aſpiciat ſpecioſa palatia cæli,
Lucis in has oras naſcitur omnis homo:
Scilicet hos hominem natum eſſe putavit ad uſus,
Cum fuerit veri neſcius ille DEI.
At nos qui fruimur cæleſtis dogmate verbi,
Æternique DEI turba dicata, ſumus.
Eſſe alios hominis fines cauſasque ſciamus,
Nempe, ut dicantur carmina grata DEO.
Quos chara cohors eſt laudatura Tonantem,
Addita cæleſti, poſt ſua fata, choro.
Sed quia principium fieri hac in valle laborum
Quantumvis lingua balbutiente decet:
Par eſt, ut liquido gratum det gutture carmen
Muſica cantorum turba dicata choro.
Nam ei ſpirituum fidiſſima turba bonorum
usque DEUM pſalmis officioſa colit:
Nec te pœniteat pia promere cantica CHRISTO,
Atque creatorem concelebrare tuum.
Inque ejus dignas cantando inſurgere laudes,
Quæ teſtere, tibi præſtita, dona DEI.
Nam ceu ſolus homo divino natus honori
Vocis habet ſana cum ratione decus:
Haud aliter jungens diſcrimina conſona vocum,
Carmina cum numeris articulata ſonet.
Qui colit hic Chriſtum ſinceris laudibus, illic
Æternæ et verus præco ſalutis erit.
Concentu hoc etenim quædam præludia vitæ
Æternæ hic præbet conſpiciendo Deus.
Ut, quos tum plauſus, quæ jubila, quosve triumphos
Corda beatorum ſint habitura, ſcias.
Sicut enim in terris cum mens dedita CHRISTO,
Principium vitæ ſpiritualis habet:
Vivaque percipiens imo ſolatia corde,
Inchoat æternæ gaudia lætitiæ:
Muſica ſic quædam eſt vitæ cæleſtis imago
Perpetuo Chriſtus quæ celebrandus erit.

Verum.